

Cum relegam, nequeo scire quid ipsa velint  
XIV. † *De Lucretia.*

Cum foderet gladio castum Lucretia pectus  
Sanguinis est torrens egrederetur, ait:  
Testes procedant me non fuisse tyranno  
Ante virum sanguis, spiritus ante deos,  
Quam bene producti per me post fata loquentur,  
Alter apud manes, alter apud superos

XV. *De avaro promissore.*

(E ms. Ebr. Regio. 274.)

Pollicitis omnes oneras, homo munere paucos;  
Cum sit avara manus, prodiga lingua tibi.  
Pollicitis plus ora patent, quam dextera donis;  
Quam melius dare te plurima, pauca loqui.  
Promittis quod habes, et quod non habes, nec ha-

[bebis,

**1370** Das quavis cuivis omnia, dasque nihil.  
Hoc petit, excipis hoc; illud petit, excipis illud:  
Hoc mihi servo, dicis, cætera tolle tibi.  
Tu vel promittis uni tria, vel tribus unum;  
Tres tamen, aut unus, nil vel habet, vel habent.  
Quod ter promittis, non das semel; et tamen ipse  
Das tribus, atque tibi; rem tibi, verba tribus.  
Servus iners eris, mentem non tollis ab arca;  
Mentis ibi fixæ sit brevis arca modus.  
Cujus dextra manus manui suspecta sinistrae,  
Suspectam lævam, ne sua tollat, habet.  
Obliquam dextræ lævam, dextramque sinistrae,  
Alternis oculos dividis excubiis

XVI. *Ænigma.*

(Ex eodem Ebr. Regio.)

Copia tres hominum triplici provexit honore;  
Tres ita provectoro triplici sociavit amore.

A Sic fuit una tribus, ut tres amor uniat unus;  
Sic tres unit amor, ne separet hos nisi funus.  
In quibus exemplar sit tertia vita duarum,  
Et vicia conversæ, de lumine lucet earum.  
Sunt sibi pro speculis, exempla que mutua præbent,  
Tresque tribus quod sunt alternatim sibi debent.  
Felicis quibus elimat zelo meliore  
Tertia vita duas, nec honor tabescit honore.  
His bene servit honor, quia nullus servit honori  
Jure tenet virgam, cui non est virga timori.  
Felix, cujus honor se possessore tumescit,  
Quando non ipsi, sed ab ipso gloria cessit.  
XVIII. *Conclusio operum metricorum Hildeberti;*  
*forte cum ex Anglia in Galliam transfretaturus*  
*esset.*

(E ms. codice, olim Elnonensi, nunc Regio, n. 274,  
annorum circiter 500.)

B Hactenus, o Musæ, somno satis, et satis usæ,  
Aspirare precor velis intransibus æquor.  
Nube vacet cælum, mare stercoite, tollite velum  
Malus et aura, ratis fieri non iuideatis.  
Impleat aura sinus, placido natet æquore pinus,  
Quæ sibi fisa parum subiit discrimen aquarum.  
Firma suis omnis innititur aula columnis.  
Artibus aurigæ sit certior orbita ligæ.  
Vitis tangit humum, si tangere desinat ulmum.  
Sum ratis et vitis, vos ulmus nautaque sitis.  
Vos via, vos murus, vos Auster, vos Palinurus.  
Effer, Clio, tubam, committe tuas mihi vices  
Calliope, suda, toto mihi numine spires.  
Ecce subimus aquas, vos eia, vos duo nautæ,  
C Dispensate, precor, moderantes singula caute.  
Eia, tu cornu, Clio doctissima, clangere;  
Tu digitis nervos, et cantu proxima tange.

## SUPPLEMENTUM AD HILDEBERTI CARMINA

† I. *Versus de excidio Trojæ.*

(Ex codice ms. bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis edidit  
Polycarpus LEYSEN, *Hist. poet. medii ævi*, p. 398.  
Halæ Magdeburg. 1721, 8°.)

Divitiis, regno, specie, virtute, triumphis,  
Rex Priamus clara clarus in urbe fuit.  
Dum rex, dum proceres, dum starent Pergama  
[Troja.

Quæ decus, et species, et caput orbis erat.  
Rex Hecubam duxit sociam sibi nobilitate,  
Auspiciis, forma, rebus, amore, throno.  
Ex hac suscepit natos. Erat Hector in illis  
Summus, et in bello fulminis instar habens.  
Plus ferus ille fero, plus urso, plusve leone;  
Sic fuit abaque fere plus ferus ille feris.  
O faustum natis! o faustum conjunge regem!  
Si pariter Paridem non peperisset ei.  
Non in eo peperit pignus, sed tela, sed ignes,  
Sed sibi, sed Priamo, sed mala cuncta suis.  
Hoc pater, hoc genitrix, hoc fratrum cœtus, et He-  
[ctor,

Hoc etiam regni gloria Troja cadit.  
Hunc Paridem paritura parens per somnia vidit;  
Vidit pro puero se peperisse facem.  
Dum rex in signo tunc signi percipit, horret  
Quod parat in pignus impius esse pice.  
Nam puerum natum pro jussu regis in Idam  
Servi tollentes ense necare parant.  
Sed puer aspiciens ensem radiare coruscum,  
Arridet gladio nescius ense necis:  
Quod percussurus cernens cor flectit, et ictum,  
Et ferus et feriens desinit esse simul.  
Sub foliis vivum linquit, quem pastor oberrans  
D Invent, ut foliis nuper opertus erat.  
Dum videt hunc sanum, dum vivum, dumque de-  
[centem:  
Extrahit, aspectat, nutrit, adoptat, habet.  
Qui pastoris oves pastor dum pascit adultus:  
Conveniunt ad eum Juno, Minerva, Venus.  
Judicium Paradisi quæ sit pulcherrima querunt,  
Promittunt etiam munera quæque sua.  
Juno decus; Pallas vires; Cythera puellam:

Sed Veneri tribuit vincere, victus ea.  
 Rex aliquando videns hunc talem, tam speciosum,  
 Remque probans veram per servos vera fatentes  
 Germanis Paridem reddit honore parem.  
 Ductus amore pater, vel matris somnia ducit  
 Vana, vel in melius vertere vera studet.  
 Sic neque consilium, neque res, neque regia  
 [virtus,  
 Nec superi, nec homo, vertere fata valent.  
 Sed laudata Venus culpam pro laude rependens:  
 Hunc monet, hunc angit, hunc cremat igne novo.  
 Quid? Pari! quid mutas pariter cum corde co-  
 [lorem?  
 Sic stat, sic loquitur, sic meditatur amans.  
 Te Veneris promissa movent, Helenæque ve-  
 [nustas,  
 Quam pro laude tibi sed sine laude dabit.  
 Te movit et species, et apex, et sanguis, et ætas.  
 Nec movet, imo ligat; nec ligat, imo trahit.  
 Hanc cupis, hanc ardes, hanc prorsus quæris  
 [habero:  
 Quam lex, quam Danaï, quam tibi fata negant,  
 Cur conjuncta viro mulier? cur regia conjux?  
 Cur ignota tuis? cur tibi Græca placet?  
 Cur non grata tibi potius virguncula? cur non  
 Ipsa Venus, quæ te iudice pulchra fuit?  
 Cur sic degeneras totus generatus in armis?  
 Ne sic degeneres, Hectoris esto memor.  
 Nonne miser reputas miserabile? nonne pudor-  
 [rum:  
 Te solum Veneris, Palladis esse tuos?  
 Cedat mollis amor patriæ virtutis amore.  
 Hectoreum fratrem non nisi tela decent.  
 Ergo sequens animos animosi fratris, et arma:  
 Quod cupit illud ama, quod facit illud ego.  
 Vince prius Venerem, si vis eques esse virilis;  
 Armis et Veneri nemo vacare potest.  
 Nec laus, nec probitas, nec honor, superare puel-  
 [lam.  
 Sed Veneris vitium vincere laudis opus.  
 Noli nunc frustra Veneris, sed castra Minervæ.  
 Hæc docet, illa furit. Hæc juvat, illa nocet.  
 Jam respisce Pari, navesque relinque paratas.  
 Consilio parens jam respisce Pari.  
 Cum sit amor velitus, vetiti malus actus amoris.  
 Si malus, ergo nocet. Si nocet, ergo fuge.  
 Cujus cæpta scelus, medium timor, exitus ignis:  
 Tu fuge, tu reproba, tu metuendo cave.  
 Sed concepta nequis vitare cupidine victus,  
 Quo quodcumque paras peste parare parem.  
 Te tua fata trahunt, ne cæpta relinquere possis  
 Ut rapias Helenam te tua facta trahunt.  
 Sic est omnis amans, sic se, sic omnia spernit:  
 Consilium, famam, fœdera, jura, deos.  
 Hic amor ut præceptus, ut cæcus, ut impetuosus,  
 Ut ratione carens, nescit habere modum.  
 Hic amor est amens, aliis inimicus, et ipsi:  
 Non amor, imo scelus. Non scelus, imo  
 [furor

A Instruit ergo rates, transit mare, quærit amicam.  
 Hanc rapit, hac fruitur, hanc male tutus habet.  
 Custodes seu vi, seu munere, seu prece victi,  
 Vel nece, vel latebris, vel periere metu.  
 Quo rex audito Menelaus, dum fremit ira,  
 Vix tenet a gladio se feriente manus.  
 Flet, tont, insanit, frendet, gemit, æstuat, ardet,  
 Incusat superos, mœnia, fata, fretum.  
 Odit enim vitam, simul et solatia vitæ:  
 Divitias, requiem, gaudia, sceptrum, cibum.  
 Mavult ipse mori, quia non moriatur adulter,  
 Sic sua, sic reputat se nihil absque sua.  
 Excidium Trojæ tractat, molitur, anhelat:  
 Dum solum Paridem ducit obire parum.  
 Omnes omnino pulat hostes hostis amicos,  
 Et quidquid pariter pertinet ad Paridem.  
 B Legatos igitur mittens legit undique viros,  
 Cui parere parat quisquis ad arma valet.  
 Sublimes, humiles, cunctos injuria regis  
 Tangit, et hanc omnis judicat esse suam.  
 Et quamvis doleant regisque suoque dolore,  
 Plus pudor ablatae, quam dolor, urget eos.  
 In Phrygiam totam conjurat Græcia tota,  
 Ut pariter pereat cum regione Paris.  
 Junctis militiæ turmis peditumque catervis,  
 Imperat in Paridem rex animosus iter.  
 Mille rates ducens petit Ilium, obsidet illud,  
 Irruit, atque cito vincere sive mori.  
 Fortiter obsistit Danaï Trojana juvenus,  
 Inque vicem strages dantque feruntque feras,  
 Dumque sub incerto pendet victoria certa,  
 C Inter utrosque diu sors velut æqua volat.  
 Nunc hi nunc illi versa vice ferre videntur  
 Insidias, ictus, vulnera, damna, fugas.  
 Præter communes casus patiuntur Achivi  
 Multa, fames, pluvias, frigora, cauma, sitim,  
 Æacidem magnum Philotetæ fastæ, sagittas  
 Poscunt, ut possint Pergama posse capi.  
 Hinc et eas monitis valum Danaï sibi quærent:  
 Hoc furor Hectoreus, hic cadit ipse Paris.  
 Sors melior belli Teucris stetit Hectore stant,  
 Qui spes, qui clypeus, qui vigor urbis erat.  
 At ferus Æacides ut venit, ut Hectora vicit,  
 Vis Teucrum victo vindice victa fuit.  
 Æacides quantus fuerit, vel qualis, et unde,  
 Prodit, et auctoris pagina multa docet.  
 D Si vim, si mentem, si bella requiris Achillis:  
 Ut doceam paucis: Hectore major erat.  
 In castris Danaum Palimedes, Nestor, Ulysses,  
 Plus sunt consilio, quam probitate, duces.  
 Æacides, Ajax, Diomedes, Pyrrhus, Atrides:  
 Hic flos, hic lumen, hic pietatis apex.  
 Quid Stelenum? quid Testoridem? quid Prothe-  
 [aclaum?  
 Quid referam plures, quos sua fama refert?  
 Quis Dolopes? quis Mirmidonas? quis denique  
 [cunctos  
 Grajigenum proceres dinumerare queat?  
 Tandem rex Danaum per vim, per facta, per illud

Palladium Trojam post duo lustra capit.  
 Hac igitur capta, sed fraude, sed arte, sed armis:  
 Hinc perimunt Priamum Priamidasque simul.  
 Neve stet urbis honos devastant cætera quæque:  
 Mucro viros, aries mœnia, tecta rogas.  
 Quod tamen urbs capta est, quod victa, quod ob-

[ruta, totum

Arte Sinon parvi ligneus egit equus.  
 Viribus, arte, minis, Danaum clara Troja ruinis  
 Annis bis quinis fit rogas, atque cinis.  
 Urbs bona, nunc dum, vi flammæ, turbine fumi,  
 Non ita consumi digna, resedit humi.  
 Nutu Junonis, et iniqui fraude Sinonis,  
 Clamque datis donis exspoliata bonis.  
 Sponsus Penelopes passus mare, monstra Cy-

[clopes,

Transtulit ad Dolopes Laomedontis opes.  
 Flamma Patris patriæ, formæ quo iudice divæ,  
 Troja caput Phrygiæ, flosque jacet Asiæ.  
 Junonem lædit, Veneri cum pastor obedit,  
 Cum iudex sedit tot tibi damna dedit.  
 Ne quis amet temere docet obruta Troja cavere,  
 Quæ Paridis scelere est nihil absque fera.  
 Priamidis lacera regumque domus cecidit.  
 Turres innumeræ nunc ubi? sub cinere.  
 Palladis armigeræ quo templa domusque fuere  
 Extendunt hederæ brachia lustra fere.  
 Raptu Tyndaridis furor est accensus Atridis.  
 Bellaque Dardanidis movit amor Paridis.  
 Pellieis obscæ næ commovit forma Lacenæ  
 In scelus effrene pectora Trojugenæ.  
 Sic facies Helena fuit exitus urbis amœnæ.  
 Crines, colla, genæ, cunctaque compta bene.  
 Quam facit audaces amor in sua damna procaces!  
 Curas mordaces inhiat atque faces.  
 Dum male grata places Helenæ nutusque loquaces,  
 Quamvis ipsa faces Illion inde jaces.  
 O res fatalis, fuit omnibus exitialis  
 Talibus heu talis femina causa malis.  
 Digna perire mari potius, flammisque cremari,  
 Quam tot privari luce ferisque dari.  
 Tempora bellorum rex indicens Danaorum  
 Æstuat amborum dissociare torum.  
 Partes ultoris juvat, auget, fama pudoris  
 Raptam raptoris quæsta jacere toris.  
 Res ea Pelidem movet, ut comitetur Atridem.  
 Æoles in Patridem commovet illud idem.  
 Jurant Grajugenæ, jurant in bella Miceuæ,  
 Castra quæ sunt juveno, suntque referta sene.  
 Hector consilio, nutu Tritonia dio,  
 Pelides gladio, dant Phryges exsilio.  
 Præsidium fidum stetit urbis in Hectore, qui dum  
 Stabat, Dardanidum robur erat valitum.  
 Cuspide Pelidæ simul idem defuit Idæ,  
 Studebant trepide prælia Dardanidæ.  
 Urbs ruit Assaraci, quam flammæ tradit edaci.  
 Vita res, o Thraci, dempta Jolie Ithaci,  
 Quæ cecidit ataret, nisi Thracem mors superaret,  
 Quæque jacens paret regia jussa daret.

**A** Quia res Idææ pereant nequit ars Cytheræ  
 Nec domus Æneæ tuta favore Deæ,  
 Nec regale decus vi posset frangere Græcus  
 Sed dolus, atque secus mœnia ductus equus.  
 Dumque Sinon orat veniam, dum verba colorat,  
 Solvitur, explorat, claustra foresque forat.  
 Quosque foris norat recipit, scelerique laborat  
 Dum res explorat, mœnia flamma vorat.  
 Partibus ablatis, custodibus et jugulatis,  
 Succubuit fati urbs miseranda satis.  
 Urbs miseranda nimis, imo dives rebus optimis,  
 Inclyta, sublimis, una sit ex minimis.  
 O furor effrenis, patuit Neptunia penis  
 Troja dolo juvenis prodita Grajugenis.  
 Flamma dein sedes, et regum dejecit ædes.  
**B** Hinc eques ad cædes, irruit inde pedes.  
 Vix sit habenda fides, quot millia sternat Atrides,  
 Ajax, Tides, Pyrrus, Achilleides,  
 Instant ense lruces, dum flammis Troja reluceat,  
 Passos vincla, cruceat, in erigendo duces,  
 Quilibet armati primum patet incipietati.  
 Sunt serie fati tot mala jussa pati.  
 Cæduntur pueri, juvenesque senesque severi  
 Omne licet sceleri, quod scelus est fieri.  
 Vi jacet hostili genus Assaraci, genus Ili.  
 Igne lares agili sede jacent humili,  
 Tunc fieri cineres gemmas, ebur, ostra, videres,  
 Tunc Danaos celeres in scelus aspiceres.  
 Aspiciens flores tot parvos, tot mulieres,  
 Tot perimi proceres, totque viros veteres.  
**C** Regum rex hæres, periit simul Hecuba, mœnes,  
 Ut corpus laceres. Ut doteas, superes.  
 Alter Homerus ero, vel eodem major Homero,  
 Tot classes numero scribere si potero.  
 Ut res declarat, igitur fundamenta locarat  
 Phœbus, et captarat, mœnia vomer arat.  
 Et fit opus clarum, quod rex fabricaret, aquarum,  
 Lustra lænarum, silvaque tuta parum.  
 Atria milvorum, locus et spelunca luporum,  
 Pascua sunt pecudum, templa, theatra, forum.  
 Ad vitium thalami quod adaugent Cypridis hami  
 Vepres et calami regna tenent Priami.  
 Culminis Idæi quod gloria perniciæ  
 Sic datur illud ei contulit ira dei.  
 Dum sic Troja cadis tantæ discrimine cladis,  
 Æneam tradis, teque, ratemque, vadis.  
**D** Et Venus huic moli subduxit provida proli.  
 Huic domui soli nil nocuere doli.  
 Hesperia metas tibi longa epoponderit ætas.  
 Te servat pietas, ut nova regna petas.  
 Vi tempestatis sociis tibi rarificatis  
 Vel rapuit fati per freta longa Paris.  
 Egrediensque fretis, qua sedes parva quietis  
 Cursibus expletis: a sapiente petis  
 Hospita Cumanis, impulsibus acta profanis,  
 Debita Trojanis fata Sibylla canis.  
 Quanta parent Rutili, quam gloria surgat Iuli,  
 Qui regum tituli, regnaque, qui populi.  
 Ergo damnatæ spe firmus, fidus Achate.

Hesperiae late tendis in arva rate.  
 Plurima bella geris, tibi dum loca debita quaeris,  
 Sed fretus superis obvia quaeque teris,  
 Turnus ut elatus tibi fata tuisque minatus  
 Occubuit stratus, dum fodis ense latus.  
 Pro qua certatur tibi regia virgo dicatur,  
 Paxque reformatur, dum tibi nupta datur.  
 Hinc processerunt qui Romam constituerunt,  
 Qui dum bella gerunt fortia quaeque terunt.  
 Et sibi fecerunt nomen, quod in astra tulerunt,  
 Ut, qui scripserunt pristina gesta, ferunt.  
 Romaque turrigerum caput effert maxima rerum  
 Tam dono superum, quam studiis procerum.  
 Sic ex Aenea crescunt Romana tropaea.  
 Sic gens Romulea surgit ab Hectorea.

† II. *Versus de sponso adversus sponsam suam.*  
 (Ex edit. Opp. Philippi abbatis Bonae Spei. Duaci  
 1621, fol., p. 799.)

Quidam negotiator, dum spe lucri transfretaret,  
 domi suam reliquit uxorem, quae ab alio institore  
 in consortium lecti adoptata est. Illa negavit: dein-  
 de propter castitatem ejus, eam amavit ita etiam ut  
 cum morte opprimeretur, haeridem suorum eam  
 constitueret. Maritus autem ejus rediens, suspicatus  
 est adulterium, et inde ante judices trahit illam in  
 causam, sic loquens:

Rarius in terris nihil est quam femina recti  
 Conscia, fida viro quam nota nulla notat.  
 Non video quae sit vel munditie, nive pura,  
 Vel fidei speculo clara, vel absque nota.  
 Et licet exuerit muliebrem femina sexum,  
 Non tunicam fraudis exuet illa tamen.  
 Nam neque deponet cornix abluta colorem,  
 Et later ablutus non erit absque luto.  
 Exprimit haec mulier factis quod persono verbis;  
 Cornix est, later est, lota nec esse potest.  
 Semper ab hac studui solitas abstergere sordes,  
 Sed testae solitus semper adheret odor.  
 Unius vitii caput amputo, sed duo surgunt,  
 Fitque magis damno fertilis hydra suo.  
 Tanta equidem vitii seges ex hac pullulat hydra,  
 Quanta nec Herculeo possit ab ense meti.  
 Sed dicis: Juvat hanc simplex facies, ego contra,  
 Motibus unda carens, esse dolosa solet.  
 Haec est simplicitas quae fraudem palliat, extra  
 Blancitur facie, clam fovet illa dolum.  
 Et ne vos lateat res, et fraudis modus: Ecce,  
 Vobis depingam remque, delique modum.  
 Texerat pratis violarum purpura vestem,  
 Crisparatque suam silva superba conam.  
 Et rosa de foliis erumpere jam meditari  
 Caeparat, in viridi fronde canebat avis.  
 Utque loquar breviter: Roseo ver riserat ore,  
 Blandirique rati caeparat aura meae.  
 Cum discedo, rates paro, merces comparo, gazas  
 Colligo, fasciculos alligo, sulco fretum.  
 Aequare jactor, abest comes uxor, sudo, quiescit;  
 Mercor, mœchatur, manet, aberro, jacet;  
 Unda tibi puppem committo, torum tibi sponsa,

A Servet ut haec vitam, servet ut ista fidem.  
 O res mira! dolo caret unda, fide caret uxor,  
 In pelago tutus, naufragus exsto domi.  
 Sponsa fidem læsit, nec prosunt ferrea pulchris  
 Claustra, nec esse potest tutus in arce decor.  
 In gremium Danaes pluit alter Jupiter aurum,  
 In terris alium pertulit illa Jovem.  
 Mœchus adest, post se trahit illam retibus auri.  
 Sed prius haec juvenem traxit amore sibi.  
 Haec juvenem specie capit, hanc juvenis capit auro,  
 Et mulier praedae, praeda sit ipsa suae.  
 Reque nova, praeda praedatur, adurit adusta,  
 Capta capit, lædit læsa, cupita cupit.  
 Nec moveor, si mœchus in hanc oculum vel amo-  
 (rem

B Fixit, praedari lumina forma solet.  
 Quisve genis Helenæ visis Paris esse recuset?  
 Gorgone quis visa tardet inesse lapis?  
 Sunt comites amor et facies, pudor hostis utriusque,  
 Si pudor est, amor est, sed pudor exsul abest.  
 Quid moror? Haec mœchum tectoque toroque rece-  
 (pit,

Hospes tecta, torum mœcha parare studet.  
 Ne nostram sine teste fidem nutare putetis,  
 Sic stabit causae firma columna meae.  
 Mecum sunt testes, mœchus vel mœcha, notatis  
 His in utroque notis, firmat uterque fidem.  
 Fallax et dives, et largus et institor ille,  
 Sola decora, rapax, et levis ista fuit.  
 Fallax ille dolo studuit, dives tulit aurum,  
 Largus fudit opes, institor emit eam.

C Firmior accedit testis super omnia, scripti  
 Pagina mœchantis picta notante manu.  
 Mœchus ibi clamat in rerum flore mearum  
 Haeredis mulier suppleat ista vicem.  
 An rebus florere suis permetteret illam,  
 Si marcescere spem cerneret ille suam?  
 Sed scio quod juvenis lectum, non littus aravit,  
 Sparsit, et in campo messuit ille meo.  
 Inde queror, succurre precor digitoque medentis  
 Consilii vulnus curia lerge meum.

† III. *Responsio sponsae.*

(Exstat ubi supra, p. 800.)

Incestat casus titulos infamia culpae,  
 Te, iudex, laesus consulit inde pudor.  
 Me nova causa vocat, venio, me crimina tentant,

D Purgo, me culpa vulnerat, obsto, nota.  
 Causor credenda, tentor laudanda, fovenda  
 Vulneror, id lædit, id gravat, istud obest  
 Causatur sponsus, socius deturpat, amicus  
 Vulnerat, inde dolus, hinc pudor, inde nefas.  
 In sponso sponsum pietas spondebat amorem,  
 Sed fractam rumpit fraus inopina fidem.  
 Hoc stupeo vulnus, sed plus stupeo ferientem,  
 Crimen obest, sed plus criminis auctor obest.  
 Sub lauro taxum, sub fœu toxica, sub spe  
 Invenio gemitum, sub pietate dolum.  
 Nec mirum, simplex viscatur sæpe columba,  
 Et turtur simplex aucupis arte cadit.

Si tamen infamet scabies me criminis hujus,  
 Hic meus ex morbo publica damna feret.  
 Ergo se lædit, se damnet, se premit iste,  
 Dum lupa, dum meretrix, dum violenta vocor.  
 Ne tamen obscuret ista rubigine, verum  
 Exprimo, culpantes opprimo, falsa premo.  
 Cum primo verum cœpit juvenescere tempus,  
 Rem, vitam, navem credidit iste mari.  
 Me linquit, sed delinquit, quia sola relinquit,  
 Sulcat, sed peccat hic, quia sola petor.  
 Femina, nupta, timens, supplex viduata relinquit,  
 Vir, sponsus, custos, dux, comes inde iugit.  
 Femina, nec Thais, conjux, nec adultera vivo,  
 Supplex, casta tamen, orba, serena tamen.  
 Garrula dum sponsi velis immurmurat aura,  
 Egrescit misero tunc mea cura metu.  
 Dum nat, naufragium, dum traxit tristia, casum,  
 Dum cantat, timco, naufraga, mœsta, cadeus.  
 Dum turbor, pulchram juvenis cupit advena solam,  
 Pulchra placet, petitur sola, petita negat.  
 Quod nileo pulchra, peccat natura, quod optor,  
 Peccat amans, sola quod petor, iste facit.  
 Accedit, fugio; blanditur, denego; spondet,  
 Oppugno; præfert, damno; laborat, eo.  
 Femina non vincor humilis, non pareo conjux,  
 Non mœchor pulchra, non fruor; inde stupet.  
 Vult, sed non violat; cupit hic, sed non capit, audet,  
 Sed non gaudet, abit hinc, obit, intro domum.  
 Dum fato premitur, nobis possessa sigillat,  
 Vel quoniam placui, vel quia casta fui.  
 Dantur opes, fugiam? dantur mihi rura, negabo?  
 Si fugio, timida; si nego stulta, notor.  
 Munera non fugio, data non nego, namque negare  
 Quod datur, in aëna creditur esse pudor.  
 Sic gemo sola, petor formosa, repello rogata,  
 Possideo felix, nec tamen ista nocent.  
 Sed si vera negor, verus vicina testis,  
 Jurabit nostram non cecidisse fidem.  
 Suspirans pudor exspirat, sed, te duce, iudex,  
 Respiret, vigeat te duce juris honor.  
 † IV. *Responsio iudicis.*  
 Exstat ubi supra, p. 800.  
 Vera patent aperit juris sententia verum,  
 Hæc vincit, vigeat; vincitur ille, cadat.  
 † V. *Epitaphium Senonensis episcopi.*  
 (Ibid. p. 801.)  
 Vitam religio, mentem discretio, famam  
 Lux operum, studium lectio, verba modus:  
 Judicium jus, justitiam rigor, ora venustas,  
 Ornabant, pietas viscera, virga manum.  
 Promovit, privavit eum, profugumque recepit,  
 Papa, comes, Christus, ordine, sede, polo.  
 Exutus rebus, tentus, vi, pulsus ab urbe,  
 Præsul, pauperiem vincla fugamque tulit.  
 unce dives, liber, stabilis, sua præmia Christum,  
 Aëra capit, sequitur, possidet iste Petrus.  
 † VI. *Epitaphium regum Jerusalem.*  
 (Ibid. p. 802.)  
 Gentibus expulsis frater prior atque secundus,

A Rex in Jerusalem fortis uterque fuit.  
 Multa prior, sed plura sequens pro tempore gessit,  
 Nam frater breviter rex fuit, iste diu.  
 Hostibus hi quasi fulgur erant, quasi murus amicis,  
 Intus prævaluit pax gladiusque fortis.  
 In bello dorsum, pro pace tributa dederunt,  
 Non est majores terra secuta viros.  
 Ecclesias clerus, plebs urbem, rura coloni  
 Implebant, segetes horrea, vina penus.  
 † VII. *Epitaphium abbatis Claravallis.*  
 (Ibid.)  
 Claræ sunt valles, sed claris vallibus abbas  
 Clarior, his clarum nomen in orbe dedit.  
 Clarus avis, clarus meritis, et clarus honore,  
 Clarior eloquio, religione magis.  
 B Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulcrum,  
 Clarior exultat spiritus ante Deum.  
 † VIII. *Versus de rota Fortunæ.*  
 (Ibid. p. 803.)  
 Singula contemtor, et in his moror, et noto summam,  
 Singula quid valeant summa notata docet.  
 Primo succedunt bona, successuque jocoso,  
 Invitant hominem, gaudet et intrat homo.  
 Intranti placido succedunt omnia vultu,  
 Et blanditur ei mentis alumna quies.  
 Ut sciat, ut valeat, ut vivat, fata laborant,  
 Conjurasse putes in sua vota deos.  
 Vita probat, fortuna parat, natura ministrat,  
 Sensum, regna, genus; tres tria cuncta tribus.  
 Vites, arva, domos, devincit, contrahit, implet  
 Vendit, emit, quærit, invenit, optat, habet.  
 C In digita ludit aurum, digitusque superbit  
 Auro, congaudent ille vel illud ei.  
 His vacat, his hæret, animumque sigillat in auro.  
 Imprimit, informat quem malus urit amor  
 Urit cor cura, certe miseros probo, quorum  
 Urit corda; sed hic uritur, ergo miser.  
 Gaudia vel luctus, spes vel timor, augur uterque  
 Suggestit, exspectat, statque, caditque miser.  
 Sic vibrans animum fortunæ ludit arundo,  
 Ludit et eludit, dando negando manum.  
 Promisit fortuna manum, montitur et aufert  
 Singula, sit rea, sed non pudet esse ream.  
 Pallet quod decuit, marcescit quod floruit, aëret  
 Quod viruit, non est quod fuit, exit homo  
 † IX. *Quod purum valeant artes sine pecunia.*  
 (Ibid.)  
 D Moribus, arte, fide, cœlesti pectore dignis,  
 Cum superes alios, desipis Odo tamen.  
 Credis enim populum versus curare disertos,  
 Et placuisse putas moribus, arte, fide.  
 Dotibus his quondam sacri placuere poetæ,  
 Ingeniumque dedit præmia, nomen opes.  
 Nunc aliud tempus, alii pro tempore mores,  
 Nunc odium virtus, accepta merentur opes.  
 Nil artes, nil pura fides, nil gloria lingue,  
 Nil lous ingenii, nil probitas sine re.  
 Nullus inops sapiens, ubi res, ubi copia census,  
 Res sapiunt; pauper nil nisi pauper erit.

Divitibusque reis non tollunt crimina nomen,  
Sed quos lex damnat, æquat habere diis.  
Hinc est quod populus aurum quasi numen adoras  
Audet in ignotum sæpe venire nefas.  
Speius lucri toties excedere jus et honestum  
Sustulit, ut gratis jam juret esse reum.

A Jus perit, ordo perit, sceleri placet ora manusque  
Vendere, quamque inopem, tam pudet esse probum  
Non agitur mirum si quisquam pravus et excors  
Divinos vates nullius esse putet.  
Quem comitantur opes, sapientia vera reliquit,  
Semper moribus incommitata bonis.

# MARBODUS REDONENSIS EPISCOPUS

AD NOVISSIMAM

## MARBODI REDONENSIS EPISCOPI OPUSCULORUM EDITIONEM PRÆFATIUNCULA.

Marbodi, Redonensis episcopi, patriam, originem, statum, vitam et scripta, in præmonitione ad opusculorum ejus novam editionem refert Dom. Antonius Beau-gendre. Nihil adjiciendum statuimus, nisi verba quædam, vel brevissima, de notis et additis ad hanc novissimam editionem.

1° Epistolas excipit *De tribus inimicis Liber*, ex P. Hommey *Supplemento* pag. 546-551.

2° Post Vitam S. Magnobodi, episcopi Andegavensis, et ante Historiam Theophili metricam, ex fonte Bollandiano, addidimus :

1° Vitam S. Gualterii, seu Gauterii, abbatis et canonici Stirpensis in diocesi Galliarum Lemovicensi. (BOLLAND. 11 Maii.)

2° Vitam S. Florentii (*Ibid.*, 22 Septemb.)

3° Inter carmina varia et post poema. *De raptu Dinæ*, quædam subjunximus, nondum edita, e ms. codice Turonensi n° 117 nov. et 164 vet. eruta.

I. *Doctrinæ commendatio.*

II. *Nimum ne crede mulieri.*

III. *Galli furtum a gallo probatum.*

IV. *De quodam Hervæo.*

V. *De Leopardo.*

VI. *Domus paterna.*

VII. *De abbatibus nimis indulgentibus.*

VIII. *De Aristotele.*

IX. *Guarmundus.*

X. *Nugæ poeticæ.*

XI. *Vas fractum.*

XII. *Elogium Milonis*, monachi S. Albini Andegavensis, dein episcopi Prænestini sub Urbano papa. II. Illud eruimus ex *Annal. Benedict.* tom. V. in append. p. 670.

4° *De ornamentis verborum*, § I. *De repetitione*, post duos versiculos :

Tu mihi rex, mihi lex, mihi lux, mihi dux, mihi vindex,

Te colo, te laudo, te glorificans tibi plaudo,

Sex alios versiculos ineditos ex ms. codice Turonensi n° 117 adjecimus ; ii quidem sunt elegiaci, sed in nostro codice priores proxime sequuntur.

5° In ms. codice Turon. n° 222 vet. et n° 656 nov. *Lapidarium* inscribitur sub nomine Hildeberti, isto modo : *Libellus domni Hildeberti, Cenomanensis episcopi de diversis naturis lapidum*, Codex ille, olim ecclesiæ metropolitanæ, nunc autem biblioth. urbis Turonicæ, catalogo inseritur a Guillelmo Jouan et Victore d'Avannes, canonicis turonensibus, tanquam *opus elegiacum* ; unde suspicantur docti auctores *Historiæ litter. Galliæ*, tom XI, p. 394, opus Hildeberti *De lapidibus*, esse aliud ac